

ORDINIS MEDICORVM
IN VNIVERSITATE LIPSICA
H. T.

PROCANCELLARIVS
D. ANTONIVS GVILIELMVS PLAZ
THERAP. P. P. ORD. FACVLT. MED. DECANVS
DECEMVIR NATION. SAXON. SENIOR MAIOR
PRINCIP. COLL. COLLEGA. ACAD. IMPERIAL.
NATVR. CVRIOS. SOCIVS

PANEGYRIN MEDICAM

AD DIEM XVIII MARTII MDCCLXXIV.

INDICIT

ET

DE MINVTIIS

NON SEMPER A MEDICO POSTHABENDIS


ITERVM EXPONIT.

Pathol. gen.

353,26

TANONIVS,
Neglectu minimi, maxima noxa datur.



 Minutias quidem praetori haud semper esse curandas, antiquo dicitur verbo, ita tamen in vniuersum, neque ad omnes res forenses, neque ad alias quascunque disciplinas transferendo, vt omnium, leuiorum visorum momentorum, imperari aut laudari credendus sit neglectus. Etiam si tamen aliis forte haud existimetur probrosam, minorem, aut plane nullam, in rebus exiguis disquirendis adhibere industriam, medicum nihilo secius, etiam in perquam multarum minutarum rerum exploratione atque diiudicatione occupatum esse debere, plus vno arbitror euinci posse argumento. Esse in minimis saepe rebus, naturam maxime negotiosam, antiquissimorum seculorum sapientes, non sine ratione professi sunt, assiduisque id egerunt conaminibus, vt, cum nihil a natura frustra factum esse intelligerent, desertis quandoque maioribus et praestantioribus obiectis, ex minimorum perscrutatione, et voluptatem non exiguam caperent, et non leuem ipsorum saepe vtilitatem laeti perspicerent. Vti enim maxime proficuum est atque tutum,
a magnis, ad res exempla minores sumere, ^{a)}

A 2

ita

a) OVIDIVS *de art. amand.* Libr. III. v. 525.

IV

ita vicissim inexpectata saepe commoda, ex minimis rebus ad maiores transferenda, illarum quoque dignitatem, plus vna ratione pariter, ac prospera exoptatissimorum euentuum forte commendant. Quemadmodum autem, magna vtiq̄ue laude affiendi sunt, qui in variis corporibus naturalibus, etiam exiguis, indefessa sollertia detegendis, atque curatissima attentione lustrandis, omnem ponunt operam, quorum laborum, vel nostris tantum temporibus susceptorum, luculentissima multa, neque vulgaria exstant documenta; ita longe maiore profecto in pretio habendi erunt, qui in variis phaenomenis, *in corpore humano* comparentibus, aut extra illud etiam contingentibus, ipsius tamen statui vel corrumpendo vel et stabiliendo opportunis, vigilante industria ponderandis, tempus cum fructu impendunt. In eo enim, medici solum positum esse officium, haud quaquam opinari conueniet, vt vulgatiora tantum, et quaecunque quotidie ex ipsorum praesentium morborum natura fluunt, consideret, atque ex his, et morborum indolem cognoscat, et quid facto sit opus, discernat, quin potius, et de venturis morbis, morborumque euentibus, praesagia ferre necessum est, et, si quid in praesentibus praeter expectationem suboriatur, prudenter diiudicare opus erit. Non enim omnium morborum ea est indoles, vt vel eodem semper signorum habitu atque numero incipiant, aut eadem symptomatum serie vigeant, aut eadem etiam mutationum celeritate atque grauitate decurrant, quandoquidem idem morbus, tam in diuersis subiectis, quam in eodem etiam aegro, alia atque alia subinde comparare solet facie, cum neque causarum, neque aliarum circumstantiarum eadem semper omni tempore sit ratio. Cumque minima circumstantia, vt vulgo non inepte dicitur, totam rem variare soleat, ita et leuissima mutatio, magnum in morbis et diiudicandis, et curatorii indicationibus inde petendis, pondus habere,

habere, medicique hinc curatiorem sollicitare poterit attentionem. Nunquam nempe natura, neque in corpore sanissimo, neque in maxime desperatis morbis, frustra quidquam molitur, semper potius, in leuissima quoque mutatione causa subest, quae, an medici adiutorio, quo efficacius euoluatur, sustinenda sit, an vero, si quidem impetuosiore vehementia periculum minuetur, in tempore suppressi debeat, prudentis iudicii exposcit consilium. In hac ipsa igitur prudente, omnium, quae et secundum naturam, et praeter ipsius ordinem eueniunt, phaenomenorum indagazione, comparatione, et diiudicatione, rei medicae potior sine dubio vertitur cardo, adeo, ut nec leuidentis visas circumstantias temere contemnendo, neque grauiora momenta nimium trepide extimescendo, innumeris erroribus, et theoreticis, et practicis, ignorantiam et arguentibus et augmentibus, nimium liberae ceteroquin, praeccludendae sint fores. Cuicumque enim *absurda et mira semper contingunt, ignorantiam prodit,*^{b)} ex qua inscitia, semper vitiosa exoritur de consiliis ineundis atque expediendis dubitatio, cum semper *contempti sit hominis, nescire quid faciat.*^{c)} Huius iudicii accuratio, quandoquidem in statu sano, nullo modo insuper est habenda, ita tamen in morbis dextre curandis, vel eapropter maximopere est obseruanda, quoniam, uti in praecipitante festinatione, ita et in leuissima mora atque minimo neglectu, maximum poterat esse periculum. Est etenim primarium medici officium, ut non solis suis conatibus nimium confidat, sibi iniquo quodam ausu imperium in naturam arroget, sed ut naturae negotia attente lustrando, eademque diligenter persequendo, et prouide dirigendo, hac ratione magistri naturae nomine se dignum esse, edoceat. Molitur nimirum natura saepissime ali-

b) PLATO in *Politic.*

c) SENECA de *brevit. vit.* cap. XII.

VI

quid citra medici intentionem atque spem, dum vel minimis leuissimisque quandoque vtitur commotionibus, vel certe talibus, quae medicus nec praeuidere, neque etiam omni sua contentione excitare poterat; haec molimina sequi conuenit, haec, qua ratione in aegri salutem verti oporteat, perpendere decebit; hoc filo ductus, vix vnquam errabit, vel certe, si secus quid contigerit, sua culpa haud contigisse, tuto confidere poterit; cum contra, solis suis viribus nisus, solique suae voluntati, atque ingeniosissimis speculationibus et praeiudiciis nimium tribuens, nec violentissimis ausibus quidquam se profuturum, quin potius vires et vitam aegrorum in praecipitium daturum, fatali tristiorum euentuum veritate conuincatur. Quid adeoque inani speculandi proficietur studio? cum medicina non ingenii humani sit foetus, atque arbitrariis subtilitatibus, ab alio aliter atque aliter excogitatis nitatur, sed ex praesentibus, et vere contingentibus, non probabiliter forte euenturis phaenomenis, sua ratiocinia, praesagia, et indicationes petat, per experientiam subinde confirmandas. Etiam si enim praestantissimum rei medicae fulcrum dicatur ratio, hac tamen sola, nihil quidquam efficietur, neque, nisi fallacissimis se circumduci sentient sententiis, qui omnia a ratione petenda esse, pertinacissime contendunt, vtpote quae, quoniam circa communia, atque saepe saltem possibile verfat, innumeris mentem intricat erroribus, nisi exemplis et experientia ducatur, veluti et experientia, rationis adiutorio destituta, nimium foecunda, complurium hallucinationum, et medico et aegris perniciosarum, est mater. Quo enim modo, omnia ratione assequi poterimus, quaecumque eueniunt, nedum quae euentura esse suspicamur? frustra certe laborabimus, etiam si noctes diesque, in perquam multis phaenomenis, iam praesentibus, ad veras suas causas profundissima meditatione reducendis et enodandis consumamus; quanto minus.

minus ergo, solis abstractionibus, et ludicris possibilitatum figmentis, mentisque somniis, quidquam proficiemus? quam, medicinam amplificandi rationem, HIPPOCRATES iam, utpote summopere detrimens, auersatus, atque philosophorum sui temporis inanes argutias, ab arte, quae seria industria in hominum salutem verti debebat, longe abesse cupiens, et merito derisit, et sapientissimo eapropter consilio, hanc scientiam e manibus eorum eripuit, qui ratiociniis omnia, experientiae vero nihil prorsus concedendum esse, acerrime statuebant. Satius adeoque erit, effectus nosse, adnotare, atque ex iisdem per analogiam de aliis consimilibus decernere, quam, cum ratiocinando omnia assequi non licuerit, ex subtiliorum tricarum fumis, solidam veritatem comprobare velle. Vberrima est opportunitas, innumeras naturalium moliminum vicissitudines, non demum operosius fingendi, sed aperte lustrandi, cum et quam plurimae de iisdem prostent observationes, assidua fidelitate collectae, et quotidianae ipsarum haud deficient accessiones, in quibus disquirendis occupari, tutius longe est, quam ingeniosius multa supponendo, nihil agere; figmentis nempe, neque doctrina augetur, neque mens conuincitur, quinimo, grauissimo potius sunt impedimento, quo minus ad verum, in quacunque scientia, tam cognoscenda, quam et amplificanda, perueniri queat finem. Hoc tamen, ut cum laude et fructu potiri queat medicus, id potius serio sibi agendum esse meminerit oportet, ut ea, quae ante pedes et oculos sunt, sibi vltro quasi oblata, contempletur, atque ex iisdem, quae vel ad scientiam augendam profunt, ediscat, vel etiam, quae in salutem humanam verti debeant, ratione duce explorare, noua inuenire, et circumspecte administrare conetur. Quod, dum efficere studet, facile quoque intelligi posse existimauerim, non superficiali quadam hanc rem expediendam esse considera-

sidera-

VIII

fideratione, sed minimorum quoque momentorum, si quidem opus fuerit, habendam esse rationem. Neutiquam tamen haec eo dicta existimanda sunt animo, ut, quaecunque praestantia aut graua sunt, posthabeantur, quin potius, cum non omnia vel prorsus euidencia sint, vel fote minorem videantur promereri attentionem, horum curam non penitus intermittendam esse, exinde colligendum erit. Veluti autem hoc consilium, in vniuersa medica re, maximo suo sese commendat pondere, ita non minus in peculiaribus nonnullis medicinae partibus, summae est vtilitatis pariter ac necessitatis. Quis est, quin sciat, quanta cum industria, et physicorum et medicorum perquam multi, in minutissimorum corporum curatissima lustratione fuerint occupati, non, ut iucundo quodam saltem spectaculo sensus oblectarent, atque miram minimarum rerum formam, maiore volumine comparentem, et distincte magis intuerentur, et curiosorum conspectui exponerent, sed, ut ex hac ipsa subtilissimorum corporum fabrica, ope microscopiorum perspicue magis cognita, tum de indole, tum de functionibus ipsorum, maiore cum constantia iudicandi, vberiore instruerentur opportunitate. Quomodo enim v. c. vegetabilium, ex minimis elementorum rudimentis euolutio, nutritio, incrementum, ipsumque, quod nostro maxime seculo adeo magnam in systematica plantarum coordinatione habere creditur vim, generationis negotium, firmis satis probari potuisset argumentis, nonnisi a sensibus petendis, nisi vasorum, tam aduehentium quam reducentium, glandularum, folliculorum aereorum, spiraliu canaliculorum, nectariorum, organorum foecundae propagationi inseruientium structura, omnem propemodum oculorum aciem fugiens, digna fuisset iudicata, quae impigerrimorum physiologorum quotidianam sollicitaret indagandi cupidinem, tum in usum explicandorum variorum negotiorum, a vege-

tabili-

tabilibus exercendorum vertendam, tum etiam ad characterum constantiorum, a constantioribus essentialibus partibus constituendorum, systematicam veritatem stabiliendam, tum quoque ad nociuas nonnullorum qualitates, certiore cum fundamento comprobandas; vti quidem ex curatiore in fungis quibusdam instituta exploratione innotuit, quorum nociuam virtutem, innumerorum vermiculorum, intra fungorum capitula delitescantium agmini tribuendam esse, non sine ratione existimatum fuit. Purpureus sanguinis latex, cuius optimaie qualitati, conuenienti miscelae, atque libero motui, magnam vitae nostrae partem gratam habemus, etiamsi momentaneo suo per vniuersum corpus motu, nullius forte nonnullis videatur aestimationis, prudentioribus tamen medicis adeo magni fuit habitus, vt nondum ipsorum omnem, in diligentissima eius lustratione reiteranda defuisse contentionem, complurium recentiorum edocti laetemur observationum speciminibus. Minima cuiusuis sphaerulae sanguineae moles, peculiari elasticitate pollens atque flexilitate, oculatissimorum scrutatorum industria detecta, incredibilem totius fluminis vitalis comprobatur meabilitatem, atque per minima vasa arteriosa cuiusuis ordinis, ad venosorum radices transeundi facilitatem, totius massae sanguineae praeterea miram prorsus diuisibilitatem, atque in vnum nihilo secius volumen subito coeundi promptitudinem, non omni tamen difficultate destitutam, cum ope frequentissimarum observationum comperitum fuerit, singulas cruoris sphaerulas, in suo per extremos arteriarum fines ad venas transitu, sphaericam suam figuram cum oblonga permutare, pristinam tamen perfectam figuram ilico in venis recipere; ^{d)} ex qua

profe-

d) Quae de hac globulorum sanguineorum mutatione observauit *Exper. REICHELIVS*, eruditissimo scripto, *de sanguine, eiusque motu*, Lips. 1767. edito. exposuit.

B

profecto sanguinis indole, ad reliquos quoque humores applicanda, diuersaque causarum, in fluida nostri corporis agentium ratione, theoriam circuli sanguinei tam naturalis quam praeternaturalis, elasticitatis et attritus modum, secretionum diuersarum ordinem, putredinosae resolutionis effectus, obstructionum denique, et varii generis inflammationum naturam, faciliore longe labore, quam ex supposita quadam de Archaeo, aut fermento quodam innato, sanguinique inhaerente hypothese, similiue figmento, explicari posse, neque minorem inde ad praxin quoque redundare utilitatem, vix quemquam in dubium vocaturum arbitror. Quodsi vero etiam nonnullarum, leuioris momenti visarum rerum, ad medicinam practicam pertinentium, disquirere lubeat conditionem, non adeo prorsus exiguas omnes esse intelligemus, quin et curatioris suae attentionis necessitatem, plus vna commendare videantur ratione, atque neglectus vicissim sui culpam, tristi saepe mercede rependere soleant. Sunt nimirum, non quidem penitus latentes, manifesta tamen grauitate non statim sese euoluentes, innumerae in corpore humano causae, sensim atque dolose repentes, hac ipsa vero dolosa tarditate eo vehementius tandem nociturae, quo maiore cum libertate, lentam suam atrociam exercendi, infelicissimam nactae fuerunt opportunitatem, quarum adeoque principiis obstare, vigilantis medici prudentiae conuenit, quandoquidem non adeo prorsus tecta sunt complurium morborum semina, quin, nisi aperte statim, diuinando tamen, et maximo cum probabilitatis fundamento, cognosci queant. Huc potissimum pertinet peculiaris nonnullorum subiectorum, ad morbos, suae temperiei proprios, atque ex corporis sui conditione praenoscendos, dispositio, tam a natiuitate statim, et ex aetatis statu sese manifestans, quam et ex aliis, solidarum et fluidarum partium qualitatibus,

bus,

bus, functionumque variarum maiore minoreue vigore cognoscenda. Vix tamen haec, utpote leuiora habita, adeo attente semper curantur, quin sensim increfendo, omnem postmodum sanitatis statum per totum vitae tempus conturbent, atque saepius licet suppressa, nunquam tamen penitus eradicata, frequentiore subinde recursum attentent, atque leuissima occasionali causa accedente, in perniciosissima atque summe refractaria mala degenerent. Morbi hi, simplicissimi, atque saepe in fibris, aut nimia laxitate laborantibus, aut rigiditate vitiosa tensis haerentes, aut etiam intra fluida adhuc latitantes, quo debiliores in suis sunt primordiis, eo faciliorem omnino admittunt curam, dummodo ad ipsorum varia signa, non quidem maximo statim cum incommodo sese manifestantia, variis tamen modis exploranda, atque variis saepe effectibus, leuioribus licet praeludentia, animum aduertere lubeat, quorum neglectu, morborum contumaciam sensim confirmari, vltro consequitur. e)

Cumque in infantulis potissimum, tales futurorum malorum causae, nimium frequenter lateant, tam ex corpusculi habitu prouenientes, quam ex viuendi genere, et educationis ratione inductae, harum certe correctioni tanto maiore cum diligentia prospiciendum esse, facile intelligitur, quanto certius est, a tenellorum istorum corporum cura, totius postmodum vitae, aut vegetioris, aut infirmioris, pendere statum. Aer, somnus, alimenta, vestimenta, conclauium conditio, motuum varia genera, ludorum et oblectationum vicissitudines, adeo quidem videntur vulgaria atque exigua, ut in eorum vsu, absque vlllo discrimine atque circumspectione indulgendo, nimium saepe incurios esse intelligamus, quibus passionum et cura concredita est et disciplina; in his

B 2

tamen

e) Confer. Magnif. ROSII nuperrime edita Prolusio de miasmate morbofo, in corpore oberrante.

tamen ipsis momentis, parum prudenter directis et administratis, nimium foecundam latere, sanitati, in vitae statim limine, innumeris modis officendi opportunitatem, et experientia loquitur, et vix facile quispiam diffitebitur, dummodo, quam subito consuetudo in alteram naturam, infelicissimo euentu degenerare soleat, perpenderit, cuius incredibilem in corpus pariter ac mentem esse vim, copiosis haud opus est comprobare argumentis. Innumera praeterea sunt, tam in medicina pharmaceutica et forensi, quam et chirurgia, non superficiali forte contemplatione lustranda, quin potius, propter rerum, quae in his disciplinis docendae, atque in usum transferendae sunt, gratuitatem, maxima utique cum accuratatione ponderanda, alio tamen tempore vberius exponenda. Iam enim ad commendationem

V I R I

CLARISSIMI ATQVE DOCTISSIMI

D O M I N I

CAROLI FRIDERICI STRVVE,

MEDICINAE BACCALAVREI DIGNISSIMI

pergendum est, qui, quandoquidem nec leuidensibus subtilitatibus, atque apinarum futilitatibus pertinacius inhaerendam, neque tamen, quae exigua licet, magni utique in re medica esse poterant momenti, negligenda esse intellexit, prudente omnium disciplinarum medicarum cultura, solidam sibi comparare doctrinam, sedulo fuit annisus, seque huius voti compotem fuisse factum, compluribus, neque vulgaribus profectuum suorum speciminibus, Ordini nostro datis, edocuit, indeque honoribus quoque, eapropter capiendis, dignissimum se praestitit. Quibus vero praeceptoribus,

ribus,

ribus, hanc morum, probitatis atque doctrinae suppellectilem gratam habeat, ipse hisce exposuit:

Natus sum anno huius seculi L. die XXVII. Jul. Bornae, vicino Lipsiae oppido, patre IOANNE ADAMO, Medicinae Doctore, ciuitatis et Praefecturae Bornensis, prouinciali praeterea Physico, ante nouem annos mihi praematura morte erepto, matre DOROTHEA SOPHIA, Heinischii, Pastoris quondam ad aedem Catharinae Magdeburgi filia, adhuc superstite. Puer traditus sum M. WIDEMANNO, iam apud Gazenses sacra facienti, et KORBINSKIO, scholae patriae Rectori. Contuli ne posthaec, humaniorum studiorum colendorum ergo in orphanotropheum Halense, in quo per quatuor annos commoratus, maximam utilitatem cepi ex Zierleinio, nunc scholae Prenzluiensis Rectore. Post orationem, in Viti Ludovici a Seckendorf memoriam habitam, in eiusdem urbis academiam transi, b. Iunckero tunc fasces tenente inscriptus. Animum vero ad altiora studia praeparaturus, literis humanioribus et philosophiae operam dedi; audiui itaque Klotzium, Homerum interpretantem, et archaeologiam docentem, a Paulo notitiam statistiam Brandenburgicam accepi, Logicam et Metaphysicam me docuerunt b. Traegerus, disputando vero me exercuit Millerus, Mathesin et Physicam Eberhardus et Ill. Segnerus tradiderunt; neque minorem ex Goldhagenii praelectionibus in historiam naturalem, cepi utilitatem. Deinde ad medica propius accedens studia, optimis fruitus sum praeceptoribus, in encyclopaedia medicinae b.

Iunckerum, in osteologia et myologia Boehmerum, in anatomia Wohlfartum, in botanica Iunghansium, in physiologia et diaetetica Eberhardum, in introductione in uniuersam medicinam, in physiologia, et pathologia Kemnium, in chemia denique, materia medica, pathologia, atque disputandi arte Nietzkium sectatus. Ita post biennium in patriam redii, Lipsiamque petii, a Magnif. SEGERO, anno LXXI. Rectore, tabulis ciuium academicorum inscriptus. Interfui hic cum fructu scholis anatomicis Magnifici BOSSII, Recturam academicam per hoc semestre sapientissime administrantis, a quo etiam medicinam forensam accepi. In Homerum commentantes Praecl. MORVM atque ZEVNIVM audiui; Exper. HAASIVS in anatome, physiologia et examinibus, Excell. POHLIVS grauissimus Medicorum Ordinis Senior, in exercitationibus disputatoriis et examinatoriis, POHLIVS vero iunior, Botanices P. in botanica mihi utiles fuerunt. Magnif. b. LVDWIGIVS, cuius paternum in me amorem gratissima semper mente colam, in pathologia, therapia, medicina clinica, chirurgia, et arte formulas componendi, fidelissimus mihi fuit praeceptor, cuius quoque scholis examinatoriis mihi interesse licuit. Exp. PLATNERVM in anthropologia, materia medica, chirurgia, et medicina forensi magistrum habui; Exc. GEHLERVS materiam medicam, chemiam, atque artem obstetriciam me docuit; ab Exp. LEONHARDI iuniore, in chemia, pharmacia, materia medica, et arte formulas medicas conscribendi informatus sum, atque ex eius examinibus et disputatoriis

toriis

toriiis exercitiis ex voto profeci. Exc. KRAVSIVS osteologiam, pathologiam, diaeticam, therapiam, praxin clinicam, et morbos oculorum, secundum Celsum, mihi exposuit. Neque defuit mihi opportunitas, varios aegros et visendi, et quid cum ipsis peragendum sit, ediscendi, cum duce Magnifico BOSIO mihi aditus ad nosocomium huius urbis pateret. Denique in pathologia, methodo morbis venereis prouide medendi, in historia medicinae atque disputatoriis scholis praeceptorem mihi contigisse laetor Magnificum Ordinis medicorum Decanum PLAZIVM. Ita confidentius ad examen theoreticum anno superiore accessi, ex quo, Baccalauri honoribus exornatus, dimissus fui, paulo post de primis lineis calendarii medici in lectionibus pro Licentia dictis exposui, atque anno finiente, in altero examine rigorosiore, summorum honorum impetrandorum ergo comparui.

His in Candidati nostri laudem addere conuenit, quod nomine Collegii Disputatorii, sub Exp. LEONHARDI moderamine florentis, Exp. IAESSINGIO summos in medicina honores, haud ita pridem captos, elegante scripto, *de additamentis cereuisiae vegetabilibus* gratulatus fuerit. In ultimo vero examine ita RECTE respondit, vt veniam nancisceretur, publice in cathedra medica comparandi, ex qua, Moderatore adsidente, Exc. KADELBACHIO, Collega coniunctissimo, Dissertationem a se elaboratam, *de therapia rabiei caninae*, aduersus dissentientes propugnaret.

Haec omnia, cum a Candidato nostro rite fuerint peracta, ego quoque, quae muneris mei sunt, peragam. Pro ea nempe, qua ad solennia haec, clementissime instructus sum,

XVI

sum, PROCANCELLARII autoritate, ipsi proximo *Veneris* die, XVIII. *Martii*, plenam dabo Licentiam, summos Doctoris in arte medica capiendi honores. Breui sermone in hac panegyri, *de arte poetica, medicum ornante* dicturus, vehementer laetabor, si quidem RECTORI ACADEMIAE MAGNIFICO, ILLUSTRISSIMIS COMITIBVS, GRAVISSIMIS VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERIBVS, nec non GENEROSISSIMIS ATQVE NOBILISSIMIS VNIVERSITATIS HVIVS LITERARIAE CIVIBVS, graue haud fuerit, patientem mihi praebere audientiam, quam, obseruantissimis atque humanissimis hisce precibus exoratum, mihi haud iri denegatum, et confido, et Ordinis mei, meoque nomine, gratissimi nostri animi cultum spondeo.

P. P. Dominica Quadragesimali quarta, *Laetare* dicta,
A. R. G. MDCCLXXIV.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



